



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Conradvs III. Ex Baronibvs Ab Hohenrechberg Abbas Heremitarvm XXXIV.
Princeps Imperii XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



CONRADVS III. EX
BARONIBVS AB HOHEN.

RECHBERG ABBAS HEREMITA-
RVM XXXIV. PRINCEPS IM.

PERII XVII.

A. D. N.

CIO. CD.

LXXXII.



ANNO octogesimo secundo grassabatur adhuc
passim pestilentia. Et Tiguri absumtus flam-
mis est ob hæresim cum famulo Richardus ab
Hohenburg, aut Hochburg Argentinēsis. Vnde
inter urbem vtramque bellum pene exortum, nisi suam Con-
federati auctoritatem interposuissent. Anno octogesimo
tertio pax tandem facta inter Ludouicum Gallix regem, &
Maximilianū archiducem. Possidebamus hoc adhuc tem-
pore mediam decumarum Riegolis in Brisgouia, Nam cete-

A. D. N.

CIO. CD.

LXXXIII.

ros domi-

ras dominia, iura, prædia, & possessiones, quæ nobis, vt patet, ex superioribus Ottonum præcipue donationibus, amplissima fuerant tota Brisgouia, adeoque magnam eius provinciam partem comprehendebant, aliquot iam ante seculis primo Duces Zeringiæ, deinde Barones ab Vffenberg ad se ferme traxerant, veluti Chenzingam, Venelingam, Endingam, Lielam, Rotvillam, alia, violentia, & fraude ne, a nostrorum voluntate, & beneficio haut dum satis compertum habeo. Vbi Barones iidem defecerunt, occupauere eadem prope omnia Marchiones Hochbergenfes: deniq; maiorẽ partem cõtra eos Austriæ principes partim iudicio, & iure euicerunt, partim Baronum vltimorum testamento. Sed hoc quoque crediderim haut pauca loca ab nostris Antistitibus per temporum necessitates oppignerata, in plurium, & diuersorum potestatem peruenisse, quo difficilior postea redemptio fuit. Alia etiam Ludouicus maxime abbas à Thierstein, vt ambitioni suæ satisfaceret, varijs dono dedit. Sed hoc ad huc tempore, vt diximus, mediam decumarũ Riegolis partem possidebamus, eam mediam partem vendidit hoc eodem anno octogesimo tertio Cunradus abbas cum suorum consensu abbati Ettenheimiano Hessoni ab Thiersberg, potestatemque illi fecit redimendi Riegolis vici, qui nostri Domini erat, sed pignore ab alijs tenebatur, & cetera ad eum pertinentia; sola sibi, & suis Cunradus reseruauit Patronatus Ecclesiarum iura, collationes sacerdotiorum, & capellarum eorundem locorum, & reliqua eo spectantia. Acta hæc eo, quo supra, anno, feria 11. post Dominicam Misericordiae Domini. Atq; ita quidquid ferme in Brisgouia nobis superfuit, ad alios peruenit, nobisque præter locorum nomina nihil remansit. Nam eodem hoc anno, paucis post mensibus etiam dono dedit Cunradus abbas Hessoni eidem Ettenheimiano antistiti, Ecclesias, & præbendas Chentzingæ, Tanningæ, Endingæ, Schælingæ, & Riegolis, item Capellanas vnã Endingæ, & Riegoli duas cum iure patronatus, & omnibus ad eas pertinentibus. Pro quibus tantis beneficijs promiserunt idem Hesso, & eius Conuentus se fin-

gulis annis, vt minimum semel, feria III. post Festum Bonifacij, pro salute animarum donatorum, & etiam eorum, qui à principio easdem Ecclesias & beneficia Heremitis dederunt, duo sacra facturos, alterum pro fidelibus defunctis, alterum in honorem DEIPARÆ Matris, cuius rei testes esse suas literas voluerunt, datas Etenheim munster xx. Iulij, Supra memorato anno. Receperunt etiam Heremitas in fraternitatē, & communionem omnium orationum, missarum, bonorū operum, promiseruntque pro defunctis fratribus singulis, si reddantur ea de re certiores, se missas, Vigiliis, aliasque preces habituros. Anno sequenti tanta vini copia, vt plerique locis tantum vini quantum vasa vacua quæ petebantur capiebant, pro vasis largirentur. Multi præconis voce vinum in Eleemosynam cuiuslibet petenti promiserint, dederintque, maximè Tiguri. Eodem anno Sixto I v. successit Innocentius VIII. annos VIII. Anno octogesimo quinto Solis eclipsis notabilis fuit, cooperto sideris toto corpore, & tenebris per diem nocturnis densioribus, horæ quartam partem, plerisque ad rem vulgo inopinatam maximè attonitis, & confusis. I v. Idus Martij Anno octogesimo sexto, Maximilianus Archidux Austriae, Dux Burgundiae, & Brabantiae Francofurti regijs comitijs Cæsar est declaratus, xv. kal. Martij, coronatus Aquisgrani I v. Idus Aprilis. Fridericus pater, eodem tempore, toto Imperio, pacem decennalem promulgari curauit. Anno octogesimo septimo petatum ab Maximiliano Cæsare fædus Tigurini, Bernenses, Tugij, Saladorenses receperunt, & ab eo regalium suorum confirmationem. Paullo post ab Brugensibus captus Patris Friderici opem implorauit, qui, conuentu Norimbergæ principum facto, promisit, & anno sequenti magnis toto imperio factis copijs, tulit. Eodem anno Sueuici fœderis initium, in quod plerique Germaniæ principes, nobiles, vrbesiniere, auctori- bus Friderico Imper. & Cæs. Maximiliano. Durauit annos XLII. Obijt ipso quoq; anno postridie D. Benedicti patroni nostri Nicolaus à Rupe, quondam officialis Siluanien- sis, qui cum se in solitudinem recepisset, & in ea annos viginti

A. D. N.

C I O. C D.
L XXXI V.

A. D. N.

C I O. C D.
L XXX V.

A. D. N.

C I O. C D.
L XXX V I.

A. D. N.

C I O. C D.
L XXX V I I.

A. D. N.

C D. C I O.
L XXX I I X

haut

haut procul à Saxula Sarnensium vico, nullo humano cibo vixisset, sola sacratissima Eucharistia, quinto decimo die suscepta, miraculis, & prophetiæ dono clarus patriam, & universam Heluetiam maximè illustravit. Anno Octogesimo nono, renouavit Carolus rex Galliæ fœdus cum Heluëtijs paternum, duabusq; eorum legionibus accitis, & virtute Gallici equitatus Britaniæ ducem apud S. Obinum, magno prælio, superavit, eiusdem ducis filiam Maximiliano Cæs. post Mariæ mortē, sponsam rapuit, & matrimonio sibi copulavit; Margaritam eiusdē Maximiliani filiam, quā dudum duxerat impuberem, repudiavit. Eodem anno, loānes Vvaldman Burgimagister multis criminibus contra Remp. & priuatos admissis, postulatus, Tiguri publico iudicio capitali supplicio adfectus est v 111. Idus Aprilis, deinde aliquot senatores, multo vrbis, & totius ditionis concursu, tumultu, & partium factione. Anno nonagesimo, monitū abbatis S. Galli, Tigurini, Lucernenses, Suitij, & Glaronenses opidum S. Galli obsederunt, quod adsumtis Abbatiscellanis, nouum ab abbate exstructum Rorschaci monasterium euerterant, contra fas, & obsequium. Secundo obsidionis die, deditiōnem fecere, veniam, & pacem precati. Illa statim concessa, huius conditiones apud Heremum dictæ, in eunte Februario, & magna omnes pecunia multati: Abbatiscellani etiam Rhegusca ditione. Eodem tempore obiit Otho episcopus. Lectus Imperatoris fauore, & ambitu Thomas eius Cancellarius, Maximiliani Cæs. quondam literarum Latinarum Doctor, & Curator, annos sex. Is animo liberandi ab ære alieno, quo grauissimè premebatur episcopatus, census facendotum peregit, onera, & collectas imposuit, Innocentij pontificis auctoritate, quæ etsi erant in bonum publicum, tamen quia eius parua plerumque cura, priuatis indulgens, maximam ei ab suis subditis inuidiam, & postremo odium conciuere. Anno nonagesimo primo, constituit abbas Cunradus in Heremo curatorem, & vicarium Barnabā ex Comitibus Saxi. Ipse ad S. Geroldum concessit, ob venationis cōmoditates, qua supra sui ordinis dignita-

A. D. N.

CIX. CD.

LXXXIX.

A. D. N.

CIX. CD.

XC.

A. D. N.

CIX. CD.

XCI.

tem adficietur, & exercebatur. Comitia eadem tempe-
 state frequentia egit Fridericus cum filio Maximiliano No-
 rimbergæ. Annus nonagesimus secundus celeberrimus
 fuit Americæ, siue noui orbis inuentione, Christophoro Co-
 lumbo nauigationis auctore, & duce. Eodem anno cōuen-
 tum frequentem Constantiæ Maximilianus habuit, multiq;
 Caroli regis iniuriā simul, & ignominiam sibi, & Imperio fa-
 ctam exaggerauit. Eo quoq; vocati Heluetij; qui sententiam
 rogati, Summi hac in re pontificis officium, & decretum
 esse dixerūt. Si sacris regem interdixerit, suum erga Cæsarem
 auxilium numquam defuturum. At Innocentio iisdem
 diebus defuncto, successit Alexander v i. ann. xi. Is Ferdi-
 nandum, anno sequenti, Arragoniæ, & Castiliæ regem, &
 eius posteros legitimos noui orbis dominos pronūciauit bul-
 la edita i v. Nonas Mai. Ita tamen vt Euangelij, & Christia-
 næ, & Catholicæ relligionis, & pietatis præcones, & doctores
 eo mittāt, & ab idololatria, & dæmonum cultu eos populos
 abducant. Primus noui orbis Apostolus Builius Catalanus
 nostri ordinis. Hoc ipso anno contulit Curator Barnabas
 Eberhardo à Mundbrat ciui Constantiensi Maioratum Aef-
 chentij, accepto ab eo iuramēto, fore fidum & obsequētem.
 Anno quarto & nonagesimo, suscepit Carolus rex Galliæ ex-
 peditionem Neapolitanam, conductis Heluetiorū octo, aut,
 vt alij, decem millibus. Cū Romam pridie kalend. Ianua-
 rij peruenisset, paucis post diebus, profligato Alfonso rege
 Neapolis, & Ferdinando eius filio Calabriæ duce, Neapolim
 magnifico triumpho ingressus est, anno sequenti incunte.
 Sed redeuntem in Galliam victorem Italiæ coniurati Princi-
 pes apud Forum nouum pridie Nonas Iulij exceperunt, quibus
 propulsatis, Heluetiorum maxime virtute, qui robur, &
 spes totius regij exercitus erant, teste Cōminæo, in regnum
 tamen euasit. Ex illa expeditione Neapolitana primum in
 Germaniam, & Galliam morbus ille contagiosus, quem
 Neapolitanum, aut Francicum vocant, translatus. Eodē an-
 no habuit Cæs. Maximilianus Vormatiæ principum con-
 uentum contra Turcam, & etiam Gallorum in Italia, vt vul-

go fereba-

A. D. N.CIO. CD.
XCII.A. D. N.CIO. CD.
CXIII.A. D. N.CIO. CD.
CXIV.A. D. N.CIO. CD.
XCV.

go ferebatur, tyrannidem. Anno nonagesimo sexto, Thoma defuncto, successit in episcopatu Constantiensi Hugo ex nobilibus ab Hohenlandenbergh, annos xxxv. Anno nonagesimo septimo & sequenti, multæ in Suevia, & Heluetia turbæ fuere, propter confederationem Suevicam, quam Heluetij ingredi respuebant. Rheti hac quoque occasione, & quia cum Austriacis de finibus contendebant, cum Heluetijs fedus perpetuum, conuentu Tigurino, fecere, Idibus Decembris anni octauæ & nonagesimi. Igitur quod reliquum erat in bellum partes secessere. Heluetij, & Rheti contra Suevicum fedus vires coniunxerunt. Sed hoc sane bellum omnium acerrimum fuit, quam vniquam Heluetij tolerauere, siue apparatus, & vires, seu varijs in locis in Heluetiam irruptiones creberrimas cõsideres. Omnes enim Imperij principes, antistites, ciuitates, nobiles in vnum conuenerant, ne Heluetiorum vnum fedus, vnus animus esset. Sed longè aliud est pro alterius Imperio, & pro sua libertate bellare. Multæ vtrimque, & diuersis locis pugnæ, Confederatis Heluetijs pleræque prosperæ. Pacem tandem fecit Galeatius Vicecomes Mediolanensis Basileæ x. Kal. Octobris. Quo tempore Ducatum Mediolanensem occupauit, pulso Ludouico Sfortia, Ludouicus Rex Galliarum, qui cum Heluetijs, mense Martio præterito, fedus annorum decem fecerat. Anno millesimo quingentesimo renouauit Maximilianus Cæs. fedus hæreditarium cum Tigurinis, Bernensibus, Tugijs, & Salodorensibus. Anno primo post quingentesimum defunctus est vita, & curatione Barnabas Saxensis. Eius opus laterales superioris Basilicæ fornices, & multa alia. Gessit enim curatorem cum laude, etsi per annorum sterilitates perpetuas, & annorum præteritorum clades haut pauca debita confecerit. Eius etiam exstat apud nos statua S. Ivs Ti pæne cubitalis ex argento insigni arte fabre facta, cui caput eiusdem Diui nostri tutelaris inclusum. Post eius mortem curam commisit Cunradus abbas, Ioanni Ort, quo palatij præfecto, & scriba etiam vsus fuerat, & postremo Theobaldo ex Baronibus à Geroldseck admodum adolescenti. Eodem anno, Basilea

A. D. N.

CLO. CD.

XCVI.

A. D. N.

CLO. CD.

XCVII.

A. D. N.

CLO. CD.

XCVIII.

A. D. N.

CLO. CD.

XCIX.

A. D. N.

CLO. D.

A. N. D.

CLO. D.

I.

- & Schafhausia inter Confederatos relatæ, & vestibus passim omnium pene vtriusque sexus cruces liuidæ apparere, nonnullorum etiam in corporibus, magno stupore. Anno secundo pestilentiæ sæuissimæ exorta ob præteritorum maximè annorum famem, & inediã. Et hoc quoq; tum notatum in eos maxime sæuissimæ, qui, anno superiore, cruces habuerunt.
- A. D. N.*
CIO. D.
II.
- Maximilianus iterum contra Turcam comitia Norimbergæ habuit. Anno tertio, cum Alexandro VI. Pius III. successisset, nec pontificatum vltra diem sextum decimum gessisset, nominatus pontifex Iulius II. annos IX. mens. III. dies XII. Cruces iterum in vestibus animaduersæ, nonnullis in locis etiam in pane. Anno quarto maxima vbiq; rerum omnium inopia, varij, ex victu obegestatem insolito, morbi. Multis locis, contabescentibus omnibus pene colonis, defuere qui terras colerent. Anno quinto celebrauit Maximilianus Coloniam omnium principum & ordinum Imperij frequentiss. conuentum, in eoq; pacem, & concordiam, toto Imperio, constituit, pœna læsæ Maiestatis proposita infractoribus. Anno sexto cometes, mense Augusto, inter Septentrionem, & Occidentem; ostentus, ut plerique crediderunt, mortis Philippi Austriaci Hispaniæ regis, Maximiliani Cæs. filij vnici. quæ xv. kalend. octob. accidit, magno patris, & omnium subditorum Hispanorum, & Belgarum, Germanorumq; mœrore, & luctu. Anno septimo Comitia Maximilianus Constantiæ habuit, consilia de bello Venetis inferendo agitauit, operam ab Heluctijs petijt, qui promiserunt. Ibi dem exsequias Philippi filij magna frequentia, & pompa obiuit. Magna vëtorum, turbinumq; tempestas, quæ non modo arbores, sed templa etiam, & ædes, aliaq; ædificia evertit. III. kalend. Iulij. Paulo ante grando pleraque loca attriuerat, vnde maxima iterum penuria exorta. Annus octauus nobilissimus fuit frequentissimorum orbis principum contra Venetos federe, Iulij pontificis, Cæs. Maximiliani, Ludouici Galliæ regis: Ingentibus ad hæc per Germaniam, & Italiam terræ motibus. Anno nono, incendium in pistoris domo forte excitatum totum Heremi vicum paucis
- A. D. N.*
CIO. D.
III.
- A. D. N.*
CIO. D.
VI.
- A. D. N.*
CIO. D.
VII.
- A. D. N.*
CIO. D.
VIII.
- A. D. N.*
CIO. D.
IX.

horis,

horis, absumsit; mox inde flammis vagantibus, & ex vicinorum ædificiorum alimento acrioribus, *Monasterium* inuasit, & pene totum rursus haussit, excepta *Abbatia*, & paucis iuxta ædibus, sacra præterea supellectile, & ornamentis omnibus referuatis, & in tutum raptis, v. *Nonas Martij*. Ferunt *abbatem Cunradum*, igne maximè sæuiente, in *Sacellum DEIPARÆ* ingressum ad aram *Virginis* preces calidissimas effudisse, mox, finita oratione, elata voce, *DEIPARAM* compellasse, præsentis exitio *Monasterium*, & quæ in eo erant eripere dignaretur, ad ipsam omnia pertinere, & quidquid perierit, ipsi periturum esse. Inde *Sacello* egressum, curare cetera ceteros iussisse, sibi *Abbatiam*, & suas circa ædeditas, & securas adfirmasse. Quod, vt diximus, euenit, omnibus reliquis ædificijs flamma corruptis, præterquam *abbatis palatium*, & quatuor *monachorum Capitularium* iuxta sitas ædes, postremo & *Capellanorū*, quæ extra *Monasteriū* erant, domibus ab ea clade ereptis. Sed ex hac quoq; calamitate, necessitateque magna hinc inde vis pecuniæ sænore sumpta, æreque alieno *Monasterium*, quod ex priori incendio vix respirarat, grauius oppressum. Eodem anno, *Bernæ* quatuor *Prædicatorū* ordinis *monachi* in *DEIPARAM* *Virginem* impij flammis extincti sunt, pridie *Kal. Iunias*, præsentibus *Aimone Lausanensi*, *Matthæo Sedunensi*, *Achille Castelli* *episcopis* *Apostolico Legato*, insigni, & immortalis *Bernensium DEI*, & eius intemeratæ *Matris* vindicum, & vltorum claritudine. Et quia decursum erat *federis decennium*, *Ludouicus rex* nouum ambiuit; Sed cum *pensionibus* solitis adijci postulassent *Heluetij*, ipse *superbiæ* id, & insolentiæ intolerabili attribuisset, quasi eorum præcipuè auxilijs &, & fide *Galliæ* niteretur incolumitas, rescidit, amicitiamque renunciauit, quam incredibile postea precio, & precibus frustra redemptam expetiuit. *Venetorum*, eodem tempore, imperium, & resp. *Maximiliani*, & *federatorum* armis, prope modum ad extremū redacta. Anno decimo fecit *Iulius pont. fedus* cum *Heluetijs* annorum quinque, opera *Matthæi Sedunensis* *episcopi* *Lucernæ*, mense *Ianuar. Maxi-*

A. D. N.
C. D. D.
X.

milianus Augustæ comitia frequentissima agitauit, quibus belli Veneti continuatio confirmata. Morbus eodem anno insolitus inuasit, varijs passim nominibus celebratus, qui per Galliam, Germaniam, Heluetiam infinitos miserè habuit, plurimos absumpsit. Pituita, & catharri caput veluti obstupesciebant, fluxuque in membra inde continuato, paralyfin inducebant, maximo omnium ciborum, & potionum tædio, & nausea. Anno vndecimo renouauit Maximilianus Cæs. fedus hæreditarium cum Heluetijs suo, & nepotis Caroli, qui imperauit nomine, Aquis vii. Idus Febr. mox Comitia iterum Augustæ celebrauit, auxiliaque contra Venetos ab ordinibus Imperij exegit. Galli Lugani tabelliones duos vnum Suitensium, alterum Friburgensium, quia literæ penes eos repertæ Sedunensis Episcopi, in proximum lacum præcipites dederunt. Eam iniuriam cum ferre Friburgenses nollent, & Suitenses ægerimè tolerarent, suorum exitium vlturi reliquos Heluetios ad arma concitarunt, & Idibus Nouembris, atrocissima hieme, in Insubriam descenderunt, multas arces euerterunt, pagos direptos incenderunt, omnia vsque Comum populati sunt, Gallorum etiam equitatum conciderunt, pridie kalend. Ianuarij domum redierunt. Inclinabant, eodem tempore Constantienses in Confederationem Heluetiam, sed piscatorum tribus contra nixa præualuit. Anno duodecimo, excommunicauit Iulius pōtif. regem Ludouicum, & omnes eius sectatores, omnibusque eum hæreticorū, & schismaticorum pennis devinxit, potestatem occupandi regni cuilibet fecit. Heluetij eiusdem pontificis rogatu in Italiam profecti, prælio Rauennensi interfuere. Sed post cladem Rauennatem multo maioribus copijs in Insubriam delapsi sunt, mense Maio, plerasque Flaminix vrbes in potestatem redegerunt. Ticinum cæperūt, octauo obsidionis die, & postea omnes pene vrbes deditionem fecerunt, & in ijs caput Insubrix Mediolanum. Ita breuissimo tempore tota Insubria eieci Galli, duodecimo anno, quam occuparant. Præsidijs toto ducatu dispositis, reliqui Heluetij insigni laude domum rediere,

A. D. N.
CIX. D.
XI.

A. D. N.
CIX. D.
XII.

excunte

exunte Iunio. Pontifex Iulius liberatæ ab Gallorum tyrannide Italiæ illis ferens acceptam gloriam, vnicuique Ciuitatum & etiam Communitatum vexillum Christi liberatoris nostri passionis mysterijs insignitum, & in commune duo, alterum suo, alterum totius Ecclesiæ nomine donauit, itemque gladium, & pileum, vtrumq; auro, & gemmis preciosum, & commemorabili titulo Defensores, & Protectores libertatis Ecclesiæ nominauit, Bulla Romæ data iii. Nonas Iulij. Duo illa communia vexilla omnium Cōfederatorum consensu delata ad Basilicam nostram tamquã locum totius Heluetiæ celeberrimum, & frequentissimũ, vbi etiam nunc è fornice supra altare maius dependent. Ipsi Heluetij circiter Idus Octobres Romam legatos miserunt, qui gratiam pro donis, & gloriæ titulo agerent, pollicerenturque omnium verbis eum se titulum pro viribus cōseruatos, defensoresque. Iisdem legatis petentibus, confirmauit Iulius Cunrado Abbati Bullas Pij II. quoad potestatem audiendi confessiones, atque absoluendi intra, vel extra Dedicationem Angelicam, cum omnibus clausulis in eisdem contentis. Idque indultum vult perpetuis durare temporibus, nec sub vllis reuocationibus debere comprehendi. etc. Romæ pontificatus anno x. Paucis post diebus aliam etiam bullam cōfecit qua eundẽ Cunradum, & eius etiam successores, & Monasterium cum omnibus ad id iure pertinentibus ad annos quindecim ab omni iurisdictione, potestate, correctione, subiectione, & superioritate episcopi Constantiensis exemit. Romæ, eodem anno, duodecimo, xii. Kal. Ianuarij. Neq; Iulio deinceps longa vita fuit. Obijt anno sequenti i. x. Kalend. Martij, successore Leone x. Ludouicus rex, vt prius antea, sic tum quoque nihil intermisit, vnde Heluetios sibi conciliaret. Conuentus in hanc rem Lucernæ habitus, festo Matthiæ, Tremollio regis legato præsentate, sed nisi Cremonæ, & Mediolani arcibus, quas solas retinebant Galli, præsidia deducat, negata omnia. Ad Venetos deinde se conuertit, eosque in societatem perpulit. Sed nihilominus, Heluetiis multis per munera, & promissa clanculario tentatis,

A. D. N.
 1520. D.
 XIII.

mox cor-

mox corruptis, alium Conuentum Galli, media Quadragesima obtinent, sed nihilo plus impetrant. Tunc omnium Confederatorum decreto Galli omnes finibus Heluetiæ intra præstitutum diem cedere iussi. Maximilianus dux Mediolani contra Gallos, qui iam in Italiam redierant, quinque Heluetiorum millia in Insubriam vocauit, quibus octo postea submissa, sed antequam suis iungerentur, iam Ducem Maximilianum, & Heluetios Triuultius, & Tremollius Nouariæ circumfederant, varièque oppugnabant, murorum magnam partem deiecerant, quos lectorum lintheaminibus transuersa pertica suspensis, in Gallorum contemptum, incredibili ferocia, Heluetij veluti reficere ostendebant, sæpius per hiatus ingentes vii ingrederentur magnis, & ignominiosis clamoribus provocabant. Cum Galli non mouerentur, quantumuis Heluetij aduentare sibi valida subsidia compertum haberent, sua tamen fortitudine indignum exspectare ea prædianij iudicarunt, moenibusque eruptione facta, ingentem in hostium castra impetum fecerunt, caesosque maxima clade profligarunt, captis tormentis, castris, & impedimentis, & Gallis iterum tota Italia eiectis, VIII. Idus Iunij. Mediolani etiam & Cremonæ arcibus deditis. Multæ interim per Heluetiam turbæ propter factiones, non paucis auro Gallico corruptis. Tiguri omnes, qui in suspitione erant, magistratibus abire coacti, & grandi pecunia multati. Alibi subditi, & agrestes, facto tumultu, vrbes quique suas obsedere, deditioem eorum omnium flagitantes, qui muneribus regijs patriæ libertatem & famam vendidissent. Id accidit Lucernæ, Saledori, sed maximo periculo Bernæ, direptis aliquot primorum ab rusticis ædibus. Circiter Idus Augusti expeditio Burgundica suscepta hortatu Cæs. Maximiliani qui paulò ante fœdus fecerat singulare dum viueret, & annum post mortem. Diuio obsessa, & quorundam tum quoque facta auaritia, & Ludouici Tremollij vrbis præfecti, fallacia, re infecta, deserta XIII. Kalend. Octobris. Eodem anno

Abbatif.

Abbatiscellani tredecimum Confederationis Heluetiæ locum impleuerunt pridie Kalend. Ianuarij. Anno quarto & decimo conclusit cum Heluetijs foedus L E o pontifex dum viueret duraturum. Anno decimo quinto, Ludouico Regi successit eius gener Franciscus Valesius. Is, ineunte anno, legatos continuo in Heluetiam, qui de pace tractarent, misit. Sed cum seliteris, quas scribebat, Franciæ regem, & ducem Mediolani præfixisset, ne auditi quidem sunt, adeoque non sine vitæ periculo, nulla mora Heluetia cedere coacti sunt. xvi. kalend. Februarij Maio sequenti quatuor Heluetij millia Mediolanum in præsidium miserunt, quos, mense Iunio, mox alij secuti. Castra Franciscus rex eodem tempore apud Marignianum Vicum fecerat, & ibi Venetorum auxilia præstolari constituerat. Heluetijs, qui Mediolani erant, pugnandi necessitatem fecere quorundam dubiæ, aut potius corruptæ mentes. Quinto igitur & decimo kal. Octob. Mediolano egressi, inclinante iam die in hostem sese effuderunt, egregiamq; victoriã reportassent, interfectis nobilissimis Gallorum ducibus, & Centurionibus, nisi nox interuenisset. Per noctem quoq; variè pugnatum, & mane congressus redintegratus. Sed Galli Venetorum aduentu, & copiarum coniunctione multo validiores. Vnde postremo Heluetij, desperata victoria, edita hostium ingenti cæde, composito ordine, in urbem rediere, amissis suorum millibus quinque & interfectis Gallorum millibus duodecim. Triuultius sanè nobilissimus dux belli, & experientissimus, pugnam hanc postremam non ab hominibus pugnatam, sed Gigantibus adfirmavit, & decem & octo prælia, quibus omnibus non vno loco interfuisset, sæpius præfuisse, ad hoc vnum collata puerilia fuisse ludicra, satisque confitit, Venetorum medio prælij concursu, turbatos Heluetios victoriã e manibus amississe. Postridie prælij, orta inter Heluetiorum duces dissensione cum pacem alij cum rege mallēt, alij ferendam obsidionem, & noua petenda, expectandaque auxilia censerent, non invito demum Maximiliano duce domos rediere, plerique mox redituri,

maioribus

A. D. N.

CIC. D.

XIV.

A. D. N.

CIC. D.

XV.

maioribus copijs, ex decreto cōuentus Tigurini, ob eam rem facti, animis in Gallos nimis infestis, & exacerbatis, nisi arcem dedisset dux Maximilianus 1 v. Nonas Octobris, accepta ab rege contra annua pensione. Sed hostibus Heluetijs, Mediolanum retinere omnino quietum Franciscus diffidens, modis omnibus, pacem, s̄dusque sollicitauit, eoque tandem perpulit, vt Geneuæ primo, dein verò Friburgi multis vtrimque articulis pax perpetua cum Corona Franciæ concluderetur, repudiato in tempus s̄dere. Ex eius pacis formula, sumtibus belli persoluit rex Heluetijs aureorum septingenta millia, opida, & arces Luganum, Locarnum, Mendrisium, vallem Madianam, aliaque reliquit, tanti victor ab victis pacem redemit xiiii. Kalend. Decembris anni decimi sexti. Anno sequenti, curauit Leo pontifex toto Christiano orbe, remissionem peccatorum promulgari ijs qui corpore, aut fortunis contra Turcas, arma iuuarent. Eius promulgationis cura data per Germaniam Alberto Maguntino archiepiscopo. Is praefecit Ioānem Tetzelium Dominicanum, quod ita iniquo animo susceperit Augustiniani, & Staupitius eius ordinis per Germaniam Vicarius generalis, itemq; Martinus Lutherus in Academia Vvittenbergenfi eiusdem ordinis Theologus, vt mox contra differere, scriptisque, & propositionibus eas oppugnare non dubitarint, ostensis, qui ex ijs nascebantur, abusibus. Hæ ad fraudem illecebræ fuere: multique ab initio haut quam mali animi, aut aduersus sedem Apostolicam contumacis odij seducti, abiecto postea veneno, ad sanitatem rediere: Alij sibi inde ad famam, & lubidinem materiam corripuerunt. In quibus Vldaricus Zuinglius fuit. Is integrum biennium quidem in Heremo, ad quam pulsus Glarona concesserat, & parochi munus obtinuerat, ita vixit, vt nullum luxuriæ, insolentiæ, s̄dæ lubidinis, & petulantiae exemplum prætermiserit, contracta maxima, ex morum similitudine, cum Theobaldo curatore necessitudine, & amicitia. Sed ad eius destinata persequenda, & euulgandum, quod dudum conceperat, nouitatis venenum, Angelica,

hoc an-

*A. D. N.**CLV. D.**XVI.**A. D. N.**CLV. D.**XVII.*

enditium

hoc anno, Dedicatio optimam occasionem attulit. Itaque adsumtis in eandem operam duobus alijs Capellanis Leone, & Luca, artium magistris, & Curatore Theobaldo ad omnem libidinem, & licentiam incenso, & præcipiti, primum suæ vesaniæ specimèn publicis concionibus inter Angelicæ consecrationis festiuitatem edidit, testè ipse, & fraudulentè, adeò vt agrè etiam prudentiores fraudem cognoscerent, metu Suietorum, siue faciliorem, eo pacto, viam institutis sperabat. Multo apertius, & impudentius Lucas, & Leo. Illi non modo publicè Indulgentias, & ad loca sacra, & pia peregrinationes, vota, & donaria ridere, & calumniari, sed Sacellum DEIPARÆ non alio loco habendum, quàm quod libet è campestribus blaterare, Deum esse vbi que, neque certis locis retineri: Quicumque honos DEIPARÆ Matri defertur, auferri eundem, & detrahi DEO omnipotenti. Postea, his veluti fundamentis, ad alia delabi, & falsiora pro certis adfirmare. Quemlibet sacerdotem papam esse, et episcopum; et rursus quemlibet laicum esse sacerdotem. Sacrum ordinem nullum esse. Nulla præterquam tria sacramenta. Antecessorum animas cælo omnes, aut inferno receptas. Nullum purgatorium. Vanas proinde, & aniles pro defunctis memorias, benefacta, et sacrificia. Missæ officium rem mendicariam, varijs è centonibus contextam. Quo monasterijs, & locis pijs plura offeruntur pietatis, & religionis amore, aut obligatione, eo maiora suppetere monachis, & presbyteris in luxum, et nequitiam. Frustrari enim laicos si credunt ab ijs aliquid ideò præstari. Nullum fraudulentius, et deterius aliud hominum genus, quam falsos presbyteros. Numquam Euangelium antea rectè annunciatum, omnes ad id tempus veluti infideles, et paganos vixisse. Postremo tamquam vno verbo omnem religionem euertere conarentur, Nihil interesse adseuerant, quid quisque crederet, et perinde Platonem, Aristotelem, Hippocratem, Ouidium, Martialem ad æternam beatitudinem ad missos esse. Hæc erant ferme noui eius Euangelij dogmata, eo plausibilia, et gratiora, quo ad om-

nem licentiam ianuam patientiorem omnibus aperiebant. Accessit incolarum *Heremi*, quorum hactenus magna pietas, & hospitalitas viguerat, repentina arrogantia, leuitas, & aduenarum, & externorum contemptus, & despicientia, quasi, eodem tempore, veluti tabe, omnibus pariter corruptis, quidquid veteris moris, & religionis fuerat, curruisset. Quæ omnia, vt insolita, & noua, sædaq; , & inopina, peregrinantes admodum attonitos, & incertos reddiderunt. Igitur multi eorum conciones, tamquam Lutheranas (id enim tum vocabulum ab auctore *Luthero* dabant) respicere, & queribundi, minacesque palam deferere: alij cereos, donaria, & alia quæ voti, aut religionis causa detulerant, domum reportare. Multi intellectis, quæ gerebantur, medium iter interrompere, plurimi peregrinationem intermittere, repetito interim sæpius veteri verivo, Eo nequiores homines, quo loca, quæ incolunt, sunt sanctiora. Omnes denique ad tam inopinatam, & repentinam, detestabilemque rerum conuersionem obstupescere, & abhorrere. Addiderunt his alia sacrilegia. S. S. *Eberhardi*, & *Gregorij* abbatum sacras relliquias, è suis feretris, manibus impijs, auulsas, quia *Conditores* primi, & illustratores *Heremi* fuerant, loco eo abdiderunt, quo parochus nempe audiendis confessionibus adsidebat, dubium in contemptum, an quo eorum memoria penitus obsolesceret. Tabellam etiam in *Sacelli Virginei* frontispicio collocatam, in qua scriptum est *HIC EST PLENA INDVLGENTIA*, sæpius deiecerunt, & cum requireretur, per formidinem reposuerunt. Nihil adeo intermiserunt quod ad *DEIPARÆ* contemptum, *Indulgentiarum*, confessionum, donationum, precum, facere videbatur. Quæ etsi omnia in maximum *Monasterij* detrimentum cedebant, quatenus *DEIPARÆ* præcipue, eo in loco, præsentia, & cultu, & indulgentiarum gratia, & abundantia, piorumque indelargitionibus, in eam claritudinem euaserat, nihili tamen pendebantur, dum suæ quisque dementiæ satisfaceret. Hæc adeo ex more suo, & ingenio, per tales ministros ausus *Sathanas*. Ne-

que enim

que enim alio in Heluetia frequentiori, aut illustriori loco, suæ nequitia, & inveterati, & perpetui aduersus DEIPARAM odij impia instrumenta exponere potuit, quam in Heremo, ad quam non modo, tota ex Heluetia, sed ex remotissimis quibusque partibus confluere mortales perspectum habebat, & nulla in alia intentiorem Virginis Matris venerationem. Qua ex re fieri credebatur ut per eiusmodi sacrilegos buccinatores, & eius coniuratos hostes, MARIÆ cultus labefactaretur, aut planè concideret; & simul ad plures suæ malitiæ, & fraudulentia labe peruaderet, adeoque inde reportarent venenum, vnde petita medicinam prius aduenerant. Sed Zvinglio, pro insita ambitione, & vanitate, dudum angusta Heremus videbatur, magnumque diffundendæ mentis insaniam campum anhelabat. Angebant subinde sacrilega, & pudenda cum maritatis, monialibus, alijs virginibus admissa facinora, quæ, ut in vico haut magno, tegi, & occultari non poterant. Perstrepebant ad hoc Suitensium minæ omnem in religione nouitatem aspernantium, & repulsantium. Tigurum opportunissimum credebatur, urbem in Heluetia capitalem, incolis copiosam, & aduenis per multitudinē legatorum regum, & Principum, illa tempestate, in ea habitantium celebrem, & frequentem. Igitur eo maximè animum aduertit, intenditq; tantumq; potuit per amicos, & fautores, maximè viros militares, quos sibi in primis devinxerat, accepta iam ante ab summo pontifice Iulio pensiones, quas ex federe promiserat, distribuendi Glaronæ facultate, ut paucis post Angelicam Consecrationem mensibus, Tigurini pro concionatore Maioris Basilicæ receperint, anno octauo & decimo, tantum non ex Heremo profugum vti ante biennium eiectum Glarona. Pulsi etiam paullo post Lucas, & Leo, eodem concessere. At vero Abbas Cunradus, intellecto, quæ apud Heremum euenerant, turbonum illorum petulantiam, & insaniam, sui Monasterij magnopere debilitasse dignitatē, & frequentiam, ipsumq; nouitatis studio, & veterum indulgentiarum, & priuilegiorum despectu, Monasterium grauiter labore, simul

A. D. N.

CLO. D.

XIIK.

prætorum ex licentia, & fallacia, insolescere, & debita, solitaque officia, & obsequia detrectare, & aspernari Heremi plerisque incolas, quo præsentiori remedio, gliscenti morbo occurreret, ad Maximilianum Cæsar. legatos ad Aenipontem misit, qui ab eo veterum priuilegiorum Monasterij, & sui simul in Heremo Principatus confirmationem poscerent. Vtramque Cæsar annuit duobus diplomatibus. Et Principatum ea conditione, vt intra certum tempus priuilegio definitum, vice sua Matthæo tit. S. Potentianæ Cardinali Episcopo Sedunensi obediētiam præstaret, fidum, & obsequentem fore, tamquam Imperij Principem, & fiduciarium promitteret. Prius diploma datum Aenipōte vi. Non. Mal. Anno Domini c. d. xviii. regni Romani xxiii. Hungarici xxix. Alterum postero die, eodem loco, & anno. His impetratis legationem aliam ad Leonem pontif. destinauit, ad obtinendā non solum omnium prætorū pontificū bullarum, & decretorū, Leonis præcipue viii. Nicolai v. & Pij ii. Iulijque etiam ii. confirmationem, sed perpetuam ab Episcopi Constantiēsis iurisdictione, & potestate liberationem. Præstitit vtrumque pariter Leo pontifex, singulari quodam, vt ex Breui ad ipsum alias missō apparet, Cunradum adfectu prosecutus duabus & ipse Bullis, Romæ vno, eodēque die datis, scilicet i v. Idus Decembris, eodem anno decimo octauo. Priori, vt petierat Cunradus, Indulgentias, remissiones, & Indulta, ac concessionem, nec non singulas literas prædecessorum suorū Leonis viii. Nicolai v. Pij ii. & Iulij. cum omnibus, & singulis in eisdem literis contentis clausulis, auctoritate apostolica, & ex sua certa scientia adprobauit, & perpetuæ firmitatis robur obtinere decreuit, nullis omninō obstaculis suspensionibus, aut reuocationibus, quarumcumq; Indulgentiarum, etiam durante Indulgentia pro fabrica basilicæ Principis Apostolorum in vrbe, & cruciata à se concessa, quomodolibet, & sub quibuscūq; formis, & verborū expressionibus, ac clausulis, ac derogatorijs derogatorijs factis, aut pro tempore faciendis, etc. Altera bulla, vt diximus, Abbatem, Monasteriū, & omnia omnino ad ipsum pertinentia

quocum-

quocumque loco, & nomine, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, correctione, visitatione, subiectione, ac superioritate episcopi Constantiensis, ac aliorum iudicum ordinariorum, & superiorum quorumcumque, eorumque officialium, & Vicariorum tunc, & pro tempore existentium, nec non à quibuscumque impositionibus, solutionibus, & præstationibus Decimæ, quintædecimæ, dationibus gabellarum, collectarum, caritativorum, ac aliorum quorumcumque subsidiorum, & onerum, quavis occasione, vel causa impositorum, & imponendorum pro tempore, in illisque faciendis contributionibus perpetuò eximit, ac totaliter liberat, ac sub beati Petri, Sedis Apostolicæ, atque suæ, & successorum Romanorum pontificum pro tempore existentium protectionem suscipit, illosque, & illa sibi, & eisdem successoribus suis, nec non Sedi huiusmodi perpetuò immediatè subijcit, ac exemptos, liberos, susceptos, ac subiectos fore decernit. Romæ apud S. Petrum eodè, quem notauimus, anno, & die. Ceterum Maximilianus Cæs. ab Aeniponte Augustam profectus comitia frequètia habuit de auxiliis cõtra Turcam, de successione in Imperio Caroli nepotis, deq; Luthero reprimendo, præsentè Sedis Apostolicæ legato Cardinali Caietano. Eodem anno, populante Germaniam atroci pestilentia, maximè Austriam, multi è Viennensi Academia, occlusis Gymnasiis, in Heluetiam rediere Doctores, & artium Magistri, in quibus fuere Ioachimus Vadianus S. Gallensis, Georgius Binder acuficis filius, & Schelerus chartarum lusoriarum opifice generatus, vterque Tigurinus. Hi, nouarum rerum lubidine, repertos per viam Lutheri libros, & coemptos passim publicabant, ingerebantq; , improbantes ipsi pariter, vt est procliuis ad deteriora mortalium lapsus, honorem, & intercessionem DEIPARÆ, & beatorum cælitum, Indulgentias, & alia, quæ Lutherus tunc insectabatur, ijs se Zvinglius adiungere, consilia communicare, eodem modo in Lutheri notitiam, & discipulorum peruenire. De Luthero tamè adhuc pauca in publico intermiscere, quia odiosum, vt nouum, & monstrosum intelligebat, doctrinam solum-

modo admirari, & puram putam Euangelicam prædicare, ab eodem post mille annorum cursum latam tandem in medium, & pro dignitate promulgatam, & adfertam. Haut pauca interim de suo interijcere, & literis etiam ad amicos patefacere, eadem ipsa in re eorumdem studiosorum, Magistrorumq; operam, & suffragia adhibere. Quibus modis efficiebat, vt non paucos impotentes, superbos, ambitiosos, cupidos, curiosos, vtriusque sexus, viros, & feminas in sententiam prius adduxerit, quam pro concione quidquam attigerit, vnde suspicio suboriri posset hæresios, aut nouitatis. Vbi postremo se satis firmum intelligit, & auditorum, fautorumque copia adfuit, Kalend. Ianuarij anni sequentis decimi noni primam contra veterem, & indubitatam religionem concionem habuit, sed tum quoque eatenus, vt Ecclesiæ abusus, quibus indulgentias admiscebat, criminetur, tum in Republ. libera, regum, & principum pensiones, tamquam inhonestas, sanguinarias, exitiosas: eadem occasione, in pontifices Romanos inuehebatur, qui darent, dedissentque, eo, credo, acerbius, quia ipsum, ex quo Glorona pulsus erat, pensione annua pontifex priuauerat. Atque ista etiam Zvinglianæ sectæ, & nominationis prima fundamenta, & exordia fuere, de qua, & inde secutis effectis præstat tacere, quam pauca, aut plura dicere. Eodem anno ineunte, obiit Imperator Maximilianus I. pridie Idus eiusdem Ianuarij, & Electores ætate sequenti Francofurtum conuenientes successorem illi in Imperio legerunt v. kalend. Augusti Carolum ex Philippo filio rege Hispaniarum nepotem, eius nominis Imperatorem v. Is, anno vicefimo, in Belgium ex Hispania delatus Aquisgrani Germanici regni coronam accepit iv. Idus Octobris, & Vormatiam conuentum principum in sequentem annum ingredientem indixit, ingrauescentibus per Lutherum in Germania de religione turbis. Anno vicefimo primo, Conuentu Vvormatiensi, suæ ipse Cæsar fidei professionem Principibus obtulit, mox grauisimum contra Nouatores edictum promulgauit. Fine anni obiit LEO pontif. cui successit v. Idus Ianuarij anni se-

quentis

A. D. N.

CIO. D.

XIX.

A. D. N.

CIO. D.

XX.

A. N. D.

CIO. D.

XXI.

quentis Hadrianus VI. Caroli Cæsar. literarum latinarum institutor, & tum Hispaniarum, regia auctoritate, gubernator, magnæ eruditionis, & virtutis. Sed non longâ eius pontificatus gloria fuit. Cæsar, eodem tempore, frequentem Norimbergæ Conuentum principum habuit, in quo actum de pace inter ipsum, & regem Franciæ, de bello Turcico, in primis de remedijs contra hæreses, & sectas multo atrocius insurgentes. Sed magna iam Tiguri Zvinglij auctoritate, & multis per Heluetiam locis fama, motus Curator Geroltzeckius, quod dudum animo versauerat, Tigurum proficisci, & eo Monasterij res trahere constituit, fecitque hoc anno, omnibus quæ in Tigurinorum ditione erant Monasterij bonis, & decumis, eorum auctoritate, & auxilio sibi vindicatis, palatium Tigurinum infedit, magnaque in vulgus pompa, & largitione haut exiguum Zvinglij rebus momentum attulit, abbate interim apud S. Geroldum agitante, senecta, & valetudine adfecta, & proinde his impediendis, aut extinguendis impare. Anno vicesimo tertio, lectus pontifex Clemens VII. qui cum Venetis, vicerege Neapolis, & alijs Italia principibus, & rebus publ. fedus contra Gallos fecit, tamquam status, & tranquillitatis Italiae perturbatores. Eodem anno, publicarunt Tigurini de religione colloquium ad diem IV. Kalend. Februarias anni sequentis. Eo in colloquio interfuit Ioannes Faber Vicarius, missu Episcopi Constantiensis, & nonnulli alii clara eruditione viri, sed adeo nihil contra Zvinglij versutias, tergi versationes, & fabulas, scommata, & ludibria profectum; vt anno quinto & vicesimo Tigurini nouam, & ab eo prolatam, fictamque religionem iureiurando confirmarint, omnia penè veteris, & melioris monumenta exciderint, multum contra indignantibus, & scribentibus, dehortantibusque reliquis Confederatis. Tum demum monachi, & monachæ mutuis sese coniugijs copulauere, simul altaria, & baptisteria, diuorumque imagines, & cultus abolita, & deiecta. Zvinglius, eodem anno, librum edidit, quem de vera, & falsa religione inscripsit, & Francisco regi Christianis. dedicauit.

A. D. M.

CIC. D.
XXII.

A. D. M.

CIC. D.
XXIII.

A. D. M.

CIC. D.
XXIV.

A. D. M.

CIC. D.
XXV.

A. D. N.
CIS. D.
XXVI.

At ipsum Franciscum VI. Kalend. Martias prælio Papiensi captum in Hispaniam victores transportauere. Facta eodem tempore Tiguri cum Anabaptistis disputatio, & Lutherus vtriusque nouam famam, tamquam suæ offuturam, ferre nolens, Zvinglium, & Oecolampadium, ne animas seducere pergerent, scripto admonuit, seque, aut ipsos Sathanæ ministros esse adfirmavit. Anno sexto & vicesimo mortuus tandem Abbas Cunradus, admodum senectò, & exhausto corpore, postremus non modo familiarum illustrium, sed adeo, eo tempore, in Heremo monachorum. Neque enim quemquam post se apud Heremum reliquit religioni, & Ordini P. N. S. Benedicti initiatum. Eduxerat sane duos nobilissimis familijs oriundos Theobaldum, de quo diximus, ex Baronibus à Geroldseck Alsatam, & Heinricum è Comitibus Saxensibus Mesauici dominis, sed alter ad Zvinglium, abiurato monachismo, defecit, alterum ob homicidium fædè, & barbarè commissum perpetuis carceribus Cunradus condemnauit. Pauci seculares Sacerdotes diuina officia in Monasterij sacra æde, & DRIPARÆ sacello curabant. Ipse plerumque apud S. Geroldum habitauit, venationis insana libidine, et vitæ solitariæ amore, relictis in Heremo vicarijs, qui, veluti mercenarij, aut magis lupi, Monasterium ad extrema adegere, extincta iam et profligata omni monachica disciplina, et quidquid veteris, et sincerioris cultus, et pietatis in Heremo tot præteritis seculorum decursibus viguerat, obtinueratque. Sui præcipuè in Heremo memoriam seruauit Cunradus, Sillana ex valle; quam paterna ex hereditate ampla, et luculenta coemit magni nostro Monasterio vsus, et commodi. Eam ipse præcipuè equis alendis, quibus haut minus delectabatur, destinauit, egregiamque inde sobolem externis etiam, maxime Italicis Principibus, commendatam, et expetitam propagauit, et posteris reliquit. Erat natus ex baronibus ab Hohenrechberg quorum adhuc in Suetia multæ opes, et præcipua claritudo, Francisci I. abbatis ex fratre nepos. Ceterum postquam Cunradus extinctus est, et nemo prætereain

monaste.

monasterio nostri ordinis adfuit, Suitij, iure advocatiæ, curatorem imposuere è suis expræfectum Kriensium, qui vnà cum Ioanne Ort, cuius supra meminimus, Heremi gubernationem aliquandiu exercuit, donec postremo, multis, & assiduis reliquorum Confederatorum precibus, & admonitionibus ijdem Suitij è S. Gallo Ludouicum postulauere, Monasterij ibidem tum Cellarium, & veluti Vicarij munus cum laude fungentem, & ob id notum, & commendatum.

Sed hucusque Monasterij Heremitani acta, memorabiliaque, suis quæque annis quæsisse, & digessisse iuuat, vtrumque haut exigua cura, & labore. Cetera in compendium referam. Non enim uero quin amplissima suppetat singulis pene annis deinceps materia, Neque enim ullis prope crediderim antea temporibus, aut peregrinationes fuere ad Heremum frequentiores, & illustriores, aut miracula rariora pariter & crebriora, aut postremo oblationes, & donaria insigniora, et opulentiora, quasi resuscitata, & adaucta religione, et laudabili certamine cum vetusta pietate, et magnificentia instituto, siue Beatissima cælorum regina, electa vt sol, pulchra vt luna, quo densiores contra obtéduntur, pugnanteque nebulae, tenebraeque, eo magis emicat, præpolletque, Sed quia dicendis, componendisq; temporibus pontificum, regumque, et Imperatorum gestis nullum aliud feracius seculum fuit. Et sic quoque Abbatum sequentium, quorum profectò haut minor virtus fuit in restitueda Monasterij nostri dignitate, quam in condendo, et augendo antecessorum primorum animus exstiterat, præclara facta, et merita non intermittam. Et miracula, et peregrinationes,

et donaria, quia quotidiana, et innumera,

melius, et rectius Diurnis Monasterij compræhenduntur:

Siue etiam de ijs alia, & singularis tractatio erit.

LVDO.